MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80274-24

AUTHOR:

VOIGHT, HUGO

TITLE:

DE FONTIBUS EARUM QUAE AD ARTES...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1887

Master Negative #

91-80279-24

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Voigt, Hugo, 1857-

De fontibus earum quae ad artes pertinent partium Nat. hist. Plinianae quaestiones; dissertatio inauguralis quam... scripsit Hugo Voigt... Halis Saxonum, Typis fratrum Unger, 1887.

25 p. 22 cm.

Thesis, Halle.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 10-2-91 INITIALS V.W.D.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)

150mm

6″

DE FONTIBUS EARUM QUAE AD ARTES PERTINENT PARTIUM NAT. HIST. PLINIANAE QUAESTIONES.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HUGO VOIGT
BEROLINENSIS.

HALIS SAXONUM
TYPIS FRATRUM UNGER (TH. GRIMM).
MDCCCLXXXVII.

De fontibus earum quae ad artes pertinent partium Naturalis Historiae Plinianae quaestiones.

Omnibus, qui C. Plinii Naturalis historiae fontibus indagandis operam dant, exeundum est ab eis, quae de auctorum indicibus a Plinio singulis voluminibus praetextis Brunnius egregie disseruit. Atque primum quidem vir doctissimus disputatione ea, cui inscripsit: „De auctorum indicibus Plinianis" (ind. schol. Bonnens. 1856/57) Plinium auctores eodem, quo in componendis libris usus esset, ordine etiam in indices retulisse, eos vero scriptores, qui opus denuo retractanti in manibus fuissent, in indicum fine adscripsisse, certis argumentis demonstravit. Multis post annis, cum Schreiberus [1]) pleraque eorum quae de artificum aetatibus, operibus, artis genere apud Plinium invenirentur, e Varrone deprompta esse, Varronem autem maiore et peculiari quodam opere artium historiam explicavisse, contendisset, Brunnius eorum qui ad artes spectant librorum indices accuratius perscrutatus [2]), Schreiberi sententiam reiecit atque tres ibi potissimum auctores in usum vocatos esse edocuit, Varronem, Cornelium Nepotem, e Graecis solum Pasitelem. Quam Brunnii sententiam, quamquam plerique viri docti qui postea in Plinii fontes inquisiverunt adeo comprobaverunt, ut quasi fundamentis ea inniterentur, tamen quemadmodum et quatenus unum quemque illorum auctorum Plinius adhibuerit, mirum quam variae discrepantesque sint sententiae. Atque ipse quidem Brunnius (eadem quam modo diximus disputatione) multis Plinii cum Cornelii Nepotis locis comparatis, ex sermonis similitudine

1) Quaestiones de artificum aetatibus in Plinii Nat. hist. libris relatis specimen. diss. Lipsiae 1872.

2) Cornelius Nepos und die kunsturteile bei Plinius. (Sitzungsberichte der bayr. Akademie 1875 p. 311 sq.)

Nepotem exquisitum Plinii auctorem fuisse demonstrare conatus est, cui praesertim in libro XXXV multa deberentur. Itaque eis quos auctor ille „De inlustribus viris" composuit libris, artificum quoque vitas comprehensas fuisse coniecit. Brunnii vestigia secutus est Furtwaenglerus.[1]) Is Plinium in componendis voluminibus ea ratione usum esse existimavit, ut quae diversis ex fontibus excerpsisset, certis sub titulis notaret, ex illis notatis quae vocat, orationem contexeret (l. l. p. 4). Procedente oratione quae singulis auctoribus vindicanda esse censeret, disseruit: Plinio ipsi plura, quam viri docti ante eum solebant, attribuit; Nepotis libros de inlustribus viris adhibitos esse, ita cum Brunnio facit, ut pictorum tantum, non aliorum artificum vitas ab illo descriptas, picturae vero initia et incrementa apud eundem exposita fuisse, statuendum sibi putaret; Varronem et Pasitelem aequaliter in usum vocatos esse ostendit, proprietate utriusque felicissime, ut mihi quidem videtur, distincta. Post eum Urlichsius[2]), cum auctorum in indicibus laudatorum quo quisque loco in contextu laudatus esset, demonstrandum sibi proposuisset, ne in pictoribus quidem enarrandis Cornelium adhibitum esse Brunnio concessit ad Schreiberi magis sententiam se acclinans, qui Varroni pleraque tribuerat, aut Iubam Fabiumque Vestalem in libro XXXV in usum vocatos esse ratus. Sequitur disputatio Oehmichenii[3]), qua ille longe aliter ac Furtwaenglerus de ea qua in excerpendis auctoribus Plinius usus sit ratione iudicans, ita eum egisse existimat, ut unum potissimum fontem aliquamdiu sequeretur, quin etiam ad verbum transscriberet, quae apud alios invenisset auctores, ubi aptum videretur, in continuitatem verborum insereret (cf. l. l. p. 72 sq.: „die excerpiermethode des Plinius"). Itaque multis quos ex aliis additos vel interiectos esse putat, locis excussis, fontem quendam primarium, libris XXXIV et XXXV communem repperisse sibi visus est, repertum restituit: artificum lexicon, ut ita dicam, secundum literarum ordinem dispositum, quo et fictores et pictores inde ab olymp. 83 (vel 90) usque ad 121 olympiadem continerentur. Illum vero indicem a Graeco quodam scriptore compositum per Varronem

1) Plinius und seine quellen über die bildenden künste. (FLECKEISEN's Jahrb. f. class. philol. 9 supplementband. 1877.)

2) Die quellenregister zu Plinius letzten büchern. Würzburg, 1878.

3) Plinianische studien zur geograph. und kunsthist. literatur. Erlangen, 1880.

Plinio innotuisse. Accedere in libro XXXV alterum auctorem exquisitum, cui vitae pictorum maxime deberentur: Cornelium Nepotem. Tum Dalsteinius[1]), quae libro XXXIV et XXXV (inde ab olymp. 90) de artificibus exponerentur, contrariam fere atque Schreiberus sententiam secutus, e Pasitele hausta esse, idque nullo Romano intercedente, contendit; Varroni, Nepoti, ipsi Plinio admodum pauca adtribuit. Postremo, cum iam hanc dissertationem scriberem, in manus venit Roberti commentatio, cui inscripsit: „Archaeologische maerchen aus alter und neuer zeit"[2]), cuius commentationis, cum tantum ad quaestiones Plinianas solvendas contulerit, imprimis capitis secundi, quo accuratius de Xenocrate et Antigono exponitur, quantum fieri potuit, rationem habui. Sed de historia quaestionis hactenus.

Iam cum in tanta virorum doctorum de hac re dissensione, quidquid ad Plinii fontes explanandos pertinere possit, in medium proferre non inutile videatur esse, denuo hanc quaestionem aliqua ex parte quidem instituere animum induxi.

Sed priusquam ad ipsam rem accedam, de compositione librorum XXXIV et XXXV, quatenus quidem ad artes pertinent, pauca praemittere liceat.

Atque primo quidem obtutu similitudo quaedam inter eos intercedere videtur. Nam cum Plinium in libro XXXVI componendo longe aliam rationem secutum esse, neminem fugiat, libri XXXIV et XXXV in eo sunt similes, quod in utroque ita versatus est Plinius, ut primum de artificibus arte praestantioribus accuratius exponeret, reliquos deinde ignobiliores indicibus secundum literarum ordinem dispositis enumeraret. Sed accuratius paulo rem considerantibus nobis magnae quoque diversitates occurrent. Initia enim picturae vitis celeberrimorum pictorum praetexuit, — qua de causa factum est, ut nonnulli viri docti in eum errorem inducerentur, ut ea omnia inde a primordiis usque ad summum picturae florem apud eundem auctorem exposita fuisse censerent —, statuarius nemo ante olympiadem octogesimam tertiam commemoratur. Initia autem artis statuariae cum arte plastica commiscuit, nam Rhoecum et Theodorum, quos scientiam aeris

1) Quibus fontibus Plinius in artificum historia usus sit? diss. Wirceburg. 1885.

2) Philolog. untersuchungen v. KIESSLING u. v. WILAMOWITZ. heft 10. 1886.

fundendi invenisse Pausanias auctor est (III, 12. 10), Plinius plastices inventores nominat (35, 152). Libro XXXV, in inlustrium pictorum, quos permultos affert, vitis, arte, moribus copiose describendis diu magnaque cum animi delectatione versatur, temporibus etiam apud singulos artifices additis, qua re fit, ut oratio elegantior magisque continua, tota denique compositio concinnior et aequabilior videatur; contra in libro XXXIV omnia permixte magis et disperse tractantur, septem tantum artifices in numerum statuariorum insignium referuntur, ceteri omnes per literarum ordinem variis indicibus disponuntur, temporum computatio orationi praemittitur.

Iam cum Furtwaenglerum et Oehmichenium, illum in eas quae ad rem rusticam pertinent Nat. hist. partes inquirentem, hunc quibus res geographicae continentur libros perlustrantem, qua ratione Plinius in excerpendis auctoribus usus esset, quam varie iudicarent, supra (p. 4) viderimus, facillime illa difficultas eum in modum solvi videtur, ut Plinium non omnibus vasti et diffusi illius operis partibus eadem ratione egisse statuamus, sed, sicut fontium conditio vel operis institutum ferebat, modo unius scriptoris vestigia legisse, modo complures fontes inter se contexuisse, modo ex singulis excerptis orationem congessisse coniciamus. Ne in libris XXXIV et XXXV quidem componendis una eademque ratione eum versatum esse modo videramus. Certe ad eorum accedimus sententiam, qui in pictoribus enarrandis novum quendam auctorem accessisse putant, cui in libro XXXV aut nihil aut pauca deberentur.

Quae cum ita essent, eam commodissimam disquisitionis rationem esse duxi, ut libro XXXIV potissimum animum adverterem, libri vero XXXV partes similes cum eo compararem, ex ipsa comparatione aliquid fructus redundaturum esse sperans.

Argumentum autem disputationis ita disposui, ut primum de indicibus literarum ex ordine dispositis, deinde de iudiciis de arte insignium artificum factis, dissererem.

Caput I.

In componendis Nat. hist. voluminibus C. Plinius, cum consilio et dispositione totius operis coactus esset non solum de

pictoribus seorsum a ceteris artificibus agere, sed etiam de caelatoribus, plastis, statuariis, marmoris scalptoribus diversis locis disserere, facere non potuit, ut fontium suorum dispositionem retineret, nisi eadem saepius per singulos libros tractare vellet. Itaque ea ipsa re adductus esse videtur, ut quae praesertim de artis operibus apud diversos auctores invenisset, singulis sub nominibus vel titulis notaret. Jam cum minores artifices „vel in transcursu et in aliorum mentione obiter nominasse“, satis ei videretur esse (35, 53), tamen, ne quid, quod in excerptis fuisset, in ipso opere omitteret, adeo curae haberet, ut 35, 146 etiam sola pictorum nomina nullis operibus additis enumeraret, et commodissimum et brevissimum esse existimavit, exceptis operum claritatibus cetera indicibus secundum literarum ordinem dispositis enumerare. Eiusmodi indices vero, cur in libro XXXVI non inveniantur, facile inde explanatur, quod Plinius in excerptis suis scalptores nondum a statuariis separaverat. Itaque cum fictores etiam ignobiliores, quiquidem ex aere opera fecissent, in libro XXXIV omnes commemoravisset, eosdem, cum magna eorum pars inter marmoris quoque scalptores referenda esset, in libro XXXVI iterum afferre noluit. Complures tamen, quamquam non in insignibus numerantur, non praetereundos esse censuit, sicut Canachum (invenio et Canachum laudatum inter statuarios fecisse marmora 36, 41), Calamidem (caelatorem illum 36, 36), alios. Qua de causa fit, ut, opera eorum qui 34, 72—91 laudantur artificum, num omnia ex aere facta fuerint, minime constare videatur.

Jam vero cum, quinam fontes in eis de quibus disserimus partibus fuerint, inquiramus, Cornelium Nepotem certe in indicibus illis non multum in usum vocatum esse, ne in libro XXXV quidem, facile concedetur. Muciano autem, quae tribuenda essent, recte iam perspexit L. Brunnius [1]), quem in maxima quidem re secuti sunt Furtwaenglerus et Oehmichenius. Sed caveamus, ne in omnibus qui ad Asiam et regiones finitimas spectant locis eum adhibitum esse cum Oehmichenio faciamus. Nam, ut exemplum afferam, Euphranoris Ulixes, qui Ephesi erat, certe non illi, immo Pasiteli tribuendus est. (Plin 35, 129). Canachi Apollinem vero (34, 75), Theodori statuam ab ipso artifice ex aere fusam (34, 83),

1) De. C. Licinio Muciano. diss. Lipsiae 1870.

Demetrii Minervam musicam (34, 76) ei vindicare non dubito, cum omnibus his locis idem mirabilia narrandi studium appareat[1]); quamquam de Minerva, utrum a Varrone potius commemorata sit, dubitari possit. Quaeritur enim, utrum cum aliis nonnullis locis, qui ad Atticae descriptionem pertinent, is locus necne coniunctus fuerit, Varroni, ut mihi quidem videtur certe tribuendis:

34, 74: Cephisodorus Minervam mirabilem in portu Atheniensium — cui pauca comparantur;

36, 16: Alcamenem Atheniensem — imposuisse dicitur;

36, 17: Eiusdem discipulus fuit Agoracritus — quod M. Varro omnibus signis praetulit;

36, 20: opera eius (Praxitelis) sunt Athenis in ceramico (cf. Oehmichen l. l. p. 151).

Nec non ipsi Plinio multa tribuenda esse apparet ex eis, quae Urlichsius (l. l. p. 17) demonstravit. Ostendit enim etiam ea artis opera quae ab Augusto primis principatus sui temporibus in aedes publicas sacrasve a se exstructas dicata essent, non iam a Varrone vel Cornelio Nepote descripta esse. Itaque, cum indices operum Romae collocatorum fuisse et a Plinio adhibitos esse, quam sententiam Briegerus[2]) primus protulit, plerisque viris doctis merito non probetur, sequitur, ut Plinius ea aut alii insequentis aetatis scriptori debuerit, aut addiderit ipse. Neque est, cur Plinio illos locos abiudicemus: primum enim, quo erat optimarum artium studio et amore, opera certe Romae collocata saepe perlustraverat, quamquam multitudine operum et negotiorum acervis se a contemplatione abduci queritur (36, 27); deinde quem substituamus alium auctorem in auctorum indicibus non invenimus; opera denique artificum nova addita sunt, neque vero novus artifex accessit. Nam Loewyus[3]) omnibus, quae Romae collocata erant, operibus omissis, numerum statuariorum non minui demonstravit. Quae

1) Apollodori tabula: „Aiax fulmine incensus, quae Pergami spectatur hodie" non cum Roberto Antigono, sed, ut plerique volunt, Muciano danda mihi videtur, comparanti locos 33, 155: „extant omnium (Boethi cet.) opera hodie in insula Rhodiorum" et 35, 69: (Parrhasii una tabula, quae est Rhodi) . . . „haec ibi ter fulmine ambusta neque obliterata hoc ipso miraculum auget" quos certe Muciani esse existimo.

2) De fontibus librorum XXXIII—XXXVI Nat. hist. Plinianae, quatenus ad artem plasticam pertinent. diss. Gryphiae 1857.

3) Untersuchungen zur griech. künstlergeschichte. Wien. 1883.

restant maximam partem Pasiteli et Varroni tribui debent; sed quomodo inter utrumque dispertienda sint, haud facile est ad decernendum. Nam ex quo Jahnius[1]) eo errore ductus[2]), ut opera e Pasitele hausta a Plinio ‚nobilia' appellari solere putaret, quae illius essent secernere conatus est, non defuerunt qui nullo maiore successu idem experirentur, donec Furtwaenglerus (l. l. p. 41 sq.) Varronem et Pasitelem in artis operibus laudandis ea imprimis re inter se differre perspexit, quod hic magis artificis, ille antiquitatis investigatoris in modum se gerat: itaque hunc argumentis operum accuratius describendis plurimum tribuere, illum brevi notatione opere signato magis rebus ab arte ipsa alienis, sicut pretio, animum attendere. Praeterea Pasitelem facile agnosci in locis a Plinio non recte e Graeco sermone conversis. Qua viri docti sententia etiam Schreiberus refutatur, qui Pasitelem non ipsum adhibitum esse, sed per Varronem in notitiam Plinii venisse putaverat (l. l. p. 20). Nam exemplis imprimis Lycii bis commemorati (34, 79) et Theonis Theorique[3]) (35, 144) utrumque in usum vocatum esse, Furtwaenglerus firmis argumentis demonstravit. Neque magis probanda est Dalsteinii sententia. Qui cum eo spectaret, ut Pasiteli quam plurima tribueret, etiam vocabula Graeca crebro adhibita frequentemque participii et infinitivi in operibus describendis usum documento esse putavit, pleraque ea e Graecis auctoribus, scriptore Romano non intercedente, transscripta esse. At ipso apoxyomeni, quem in cubiculum suum Tiberius transtulerat, exemplo (34, 62) iam Furtwaenglerus eam sententiam irritam esse demonstraverat (l. l. p. 39), et quis est quin sciat iam ab ultimis liberae rei publicae temporibus earum quae ad artes artificiaque pertinent rerum vocabula Graeca, quae cum ipsis rebus Romam venerant, usitatissima fuisse. Nonne apud Ciceronem in quarto Verrinarum libro eiusmodi vocabula crebro inveniuntur exempli gratia ‚canephoroe' illae afferantur Verri obiectae (IV, 3. 5), non apud Plinium, idque eis locis qui certe Romano auctori debentur

1) Die kunsturteile bei Plinius. (Berichte der sächs. Gesellschaft der Wissenschaften. 1850 p. 118 sq.

2) qui error vel inde intelligitur, quod Studium (vel Ludium) quendam divi Augusti aetate nobiles palustri accessu villas in parietibus pinxisse Plinius narrat (35, 116).

3) Theonem Theori deminutivum esse Robertus cognovit (l. l. p. 75 n. 1).

passim reperiuntur? Quorum magna ex copia unum alterumve exempli causa ponere satis erit. Ex annalium scriptoribus: ‚abaci, monopodia, lychnuchi' (34, 14); ex ipso Varrone: ‚stephaneplocos[1]) (21, 4), anthropographos (35, 113), proplasmata (35, 155), plastice' (35, 156). Sed ne diutius in ea re moremur, iam apparet eam causam a Dalsteinio allatam per se nullam vim auctoritatemque habere. At eos certe locos Pasiteli tribuenda esse existimo, quibus Plinius, cum totam Graeci vocabuli significationem a se expressam non esse sentiret, utriusque linguae vocabula posuit, eiusmodi dico: ‚frequentia quam vocavere syngenicon' (35, 134), ‚piger qui appellatur Ocnos' (35, 137), ‚citra pulveris iactum, quod vocant ἀκονιτί' (35, 139). Neque magis participii usu quam vocabuli Graeci locum aliquem Pasitelis esse demonstratur. Nam participii formam, cum Graeci saepissime in artis operibus appellandis adhibuerint, cur a Varrone non saepe conservatam esse putemus, cum commodissima esset, praesertim cum participia Graeca non semper appellatione Latina reddi possent. Temere igitur videtur esse eiusmodi locos Pasiteli vindicare, nisi alia atque maior causa accedat, ut argumenti quamquam in brevissimam formam redacti vestigium aliquod videamus. Ex quo fit, ut, nisi libidini et licentiae viam patefacere cupimus, multos locos utri attribuenda esse censeamus, in medio relinquere necesse sit.

Indices vero ab ipso Plinio confectos esse, cum consensu virorum doctorum constare videretur, negavit Oehmichenius ea quam supra (p. 4) commemoravimus commentatione. Cuius parte priore, postquam indices literarum ex ordine dispositos, qui in libro III et XXXVII invenirentur, non ipsi Plinio deberi demonstravisse sibi visus est, posteriore parte probare conatus est, ne artificum quidem indices in libris XXXIV et XXXV relatos ipsius Plinii esse, sed eis quibus de artibus ageretur Nat. hist. partibus fontem quendam subesse, ab auctore nostro primo loco adhibitum, quo artificum nomina additis operibus in literas digesta continebentur. Iam cum diversis rationibus libri XXXIV quidem indices compositos esse eum non fugeret, cum primo indice (§ 72—84) qui septem insignibus statuariis gloria proximi essent recenserentur, reliquis duobus non qui minore gloria florerent artifices, verum

1) cf. Urlichs, anfaenge der griech. künstlergeschichte I p. 37.

‚aequalitate operum celebrati' (§ 85) et ‚qui eiusdem generis opera fecissent' (§ 86—92) enumerarentur, hanc partitionem ab ipso Plinio factam esse ratus, unum indicem, quo non solum fictores, sed etiam pictores continerentur, apud Varronem, Romanum in hac re Plinii auctorem fuisse arbitratus est (l. l. p. 106). Neque vero ab ipso Varrone illum indicem compositum esse iudicavit, sed e Graeco quodam scriptore (quem non nominavit, at certe Pasitelem fuisse intelligi vult) transscriptum esse coniecit (l. l. p. 169). Hunc igitur indicem ipse restituere conatus est, omnibus quos ex aliis auctoribus additos esse censeret, locis omissis. Iam vero, cum eo sibi proficiscendum esse putaret, ut in eis de quibus agimus Pliniani operis partibus tres auctores in usum vocati essent, Varro, Cornelius Nepos, Pasiteles, ea autem quae ad Augusti tempora spectarent non iam a Varrone commemorata esse cum Urlichsio faceret, primum omnes eos locos, qui ad principum Romanorum tempora pertinerent, omnes deinde eos, qui Muciano ei viderentur tribuendi esse, locos delendos esse censuit, quos non cum primariis fontibus cohaesisse sed in orationem insertos esse facile erat ad demonstrandum. Fabellas quoque illas, quae in libro XXXV potissimum inveniuntur, cum ad indicem ad literas dispositum minime quadrare viderentur, ex alio auctore haustas esse eumque Cornelium Nepotem esse contendit, quippe qui in pictorum libro alter fons primarius accederet. Aetates vero artificum iam in indice additas fuisse, cur existimaret, Schreiberi argumentis adductus est, quibus ille comprobavisse sibi visus est (l. l. p. 22) statuariorum catalogum chronologicum cum §§ 54—72 eiusdem libri apud Plinii fontem coniunctum fuisse, itaque in operibus statuariorum enumerandis simul aetates adiectas esse, sicut etiamnum in libro XXXV factum esse videmus. Qua re factum est, ut ei artifices, qui aut ante olymp. 83 aut intra olymp. 121—156 fuissent ab indice excluderentur, sicut Pergameni illi, qui Attali et Eumenis adversus Gallos proelia fecerant (34, 83). Eam porro indicis sui conditionem fuisse putavit, ut ubi artis opera collocata essent, nusquam indicaretur, ipsa autem opera eum in modum ordinata essent, ut primum deorum simulacra, deinde cetera signa laudarentur, idque ipsis Plinii verbis libri 34 § 49 positis significari putat: „Minoribus simulacris signisque innumera prope artificum multitudo nobilitata est". At alteri sententiae magnas

dubitationes obstare, alteram rectam non esse, statim docebo. Nam, ut de simulacris signisque primo loco loquar, eum in operibus enumerandis ordinem a Plinio servatum esse, ut quo quisque artis genere artifex praestantissimus esset, eius generis opera primo loco laudarentur, ex ipsis eis paragraphis, quibus de nobilissimis statuariis agitur, apparet. Itaque deorum simulacra a Phidia facta, quibus maxime ille inclaruit, primo loco commemorantur, Polycliti vero, qui, ut ait Quinctilianus (XII. 10 3) non explevisse deorum auctoritatem videbatur, nihil ausus supra leves genas, diadumenos et doryphoros.[1]) Myronis bucula, qua maxime ille artifex nobilitatus est, ante alia opera praedicatur, Pythagorae vero pancratiastes Delphis positus, quo non solum Myronem, verum etiam semet ipse superavisse videbatur. Similiter ex magna Lysippeorum operum multitudine (M D opera ab eo facta esse Plinius auctor est 34, 37) destringens se prae ceteris insigni laude notatur et principe loco ponitur. Quibus vero locis opera collocata essent, cur in indice additum non fuerit, Oehmichenius causas satis probabiles attulisse non videtur. Nam cum eiusmodi verba apud Plinium cum verbis insequentibus vel praecedentibus non arte coniuncta esse compluribus locis docuit, quid aliud docuit, nisi quod inter omnes constat, complures ibi fontes a Plinio contextos esse? Nonnumquam certe eis quos delendos esse putavit locis non eundem sonum et stilum esse atque ceteris quos in indicem recepit locis demonstrare ei contigit. Itaque recte delevisse videtur locos 34, 59: „cuius signa — laudata sunt“, 34, 69: „et signa quae ante Felicitatis aedem fuere“, quod ibi generatim signa commemorarentur, 34, 74: „Cephisodorus — cui pauca comparantur“, quod is qui indicem composuit, parcus in laudando fuisset, 34, 75: „Canachus Apollinem — per vices resiliat“, quod res mirabiles in indice narratas non esse existimat. Alios vero locos reiecit, quod simulacra post signa commemorarentur, quam causam levem esse supra demonstratum est, sicut 34, 55: „item Mercurium qui fuit Lysimacheae — appellatus est“; 34, 57: „Herculem — in aede Pompei Magni“. Aliis locis, cum in verborum structura et coniunctione nihil inveniret quod offenderet, ubi opera posita essent,

1) cf. Cic. orat. 2, 5: nec simulacro Iovis Olympii aut doryphori statua deterriti reliqui minus experti sunt, quid efficere aut quo progredi possent.

iam a Varrone additum esse concedit, sicut 34, 59: „fecit et stadiodromon — videntur“; 34, 66: „Herculem Delphis — proelium equestre“. Optime vero qua licentia in ea re usus sit, ubi duobus locis idem artifex laudatur, apparet: nam cum meliorem causam invenire non potuisset, breviorem locum delendum, alterum retinendum esse iudicavit. Itaque Cresilae[1]) operum brevem commemorationem (34, 76), quae optime ad indicem secundum literas dispositum convenire videtur, reiecit, pleniora verba § 74, quae ex epigrammatis graecis hausta esse apparet, in indicem recepit.

Sed aliae etiam causae accedunt, cur artificum indicem, qualem Oehmichenius constituit, numquam fuisse existimem. Nam neque intelligitur, cur aetates etiam mediocrium artificum in eo fuisse, quin etiam iudicia de arte facta (cf. p. 179) in eum relata esse putemus, contra praeclarissima opera, ubi collocata sint, in eodem non inveniri nobis persuadeamus; neque cur Varro eis quos apud fontem Graecum invenerat artificibus enumerandis acquieverit, praesertim cum in eiusmodi indice artifices qui deessent addere facillimum esset, causas ullas Oehmichenius protulit. Nam, cum initia picturae a Varrone Plinio tradita esse ipsius Oehmichenii sententia sit (l. l. p. 206), Polygnotum, ut alios omittam, cur oblivisceretur, Romanam artem, cum diligentissime investigasset, cur in indice neglegeret? Tota denique argumentatio, qua indicem Graeco auctori deberi demonstrare conatus est, nullam mihi vim habere videtur. Primum enim, quam legem in literis Graecis ordinandis Romanum auctorem (quem medium intercedere vult inter Graecum fontem et Plinium) secutum esse exposuit, ut literas aspiratas similibus non aspiratis subscriberet, (ita ut Θ post T, Φ post Π inveniretur) duobus locis infractam esse videmus: 35, 75 Chaereas (X), Cresilas (K) et 34, 92 Timotheus (T), Theomnestus (Θ), Timarchides (T); neque omnino, cui indicem illum tribuamus aut ab Oehmichenio discimus, aut animo cogitare possumus. Pasitelis vero opus, cui teste Plinio (36, 39) inscriptum erat „nobilium operum in toto orbe volumina quinque“, artificum quasi lexicon fuisse, cui persuadebitur?

1) sic pro Ctesilao legendum esse Oehmichenio quoque visum est.

Caput II.

Ac de prima quidem parte satis dictum est; sequitur, ut de iudiciis de arte praeclarissimorum artificum factis accuratius paulo disseramus.

Septem artifices apud Plinium (34, 54 sq.) in numero statuariorum nobilissimorum referuntur: Phidias, Polycletus, Myro, Pythagoras, Lysippus, Telephanes, Praxiteles. Accedit Calamis, caelator ille insignis, qui etiam apud Romanos magna auctoritate florebat (cf. Plin. 34, 47), cuius cum iam inter caelatores mentio facta esset (33, 156) opera ex aere facta commode hoc loco inseruntur, quo Praxitelis in eum benignitas laudatur. At clarissimis statuariis certe adnumerandus non est. Quinque autem primi artifices inter se connexi sunt iudiciis illis, quae e Xenocrate vel Antigono hausta apud Varronem fuisse, inde a Plinio in opus suum recepta esse, primus Briegerus (l. l. p. 46) luculenter edocuit. Ad Antigonum et Xenocratem eosdem etiam Plinii verba (34, 68): „Artifices qui compositis voluminibus condidere haec miris laudibus celebrant Telephanen Phocaeum . . . .“, spectare cum perspicuum sit, Telephanes quoque ab eis in praeclarissimos artifices relatus est. Nam quamquam non Lysippo par ducitur, quem opinione sectae Lysippeae nemo aequavit, tamen Polyclito, Myroni, Pythagorae aequatur. Neque quidquam obstat, cur eodem loco eum commemoratum esse putemus: itaque quae de Telephane traduntur item per Varronem ad Plinium venisse arbitror. Iudicium autem de arte praestantissimi artificis cur non fecerint, artifices illi eam excusationem attulisse videntur, ut, quamquam nomen eius celeberrimum esset, tamen de arte se iudicare non posse dicerent, quoniam opera eius non vidissent, quae in Thessalia laterent. Sed cum hi Telephanem plerisque ignotum esse ideo putarent, alii ignobilem eum fuisse tradiderunt: „quod se regum Xerxis atque Darei officinis dediderit“. Haec Polemonis verba esse Urlichsius [1]) non sine aliqua probabilitate coniecit. Neque tamen per Varronem Plinio innotuisse videntur, sed potius per Pasitelem. Nam cum certe de Artaxerxe et Dareo Notho cogitandum sit, error qui in verbis ‚Xerxis et Darei' latet, Varroni tribui non debet, sed ipsi

1) Ueber griech. kunstschriftsteller. Würzburg 1887. p. 38 sq.

Plinio Graeca verba neglegenter transvertenti. Pythagoram Rheginum Plinius distinguit a Samio, idemque error recurrit apud Diogenem Laërtium (VIII. 1. 25). Ibi cum etiam eiusdem iudicii de arte eius facti pars conservata sit, iam apud communem fontem, cui iudicia illa debentur, duos Pythagoras distingui Furtwaenglerus recte vidit (p. 70 n. 13). Atqui cum Pausanias, qui unum eumque Rheginum novit (cf. Paus. VI, 4. 4. VI, 13. 1. saepius) multa e Polemone hauriat [1]), hanc quoque Pausaniae sententiam Polemoni deberi, atque in eis quae adversus Antigonum scripsit voluminibus expositam fuisse Urlichsius mihi quidem persuasit (kunstschriftsteller p. 40). Sequitur ut duos Pythagoras fuisse Antigoni fuerit sententia. Iam cum iudicium de Pythagora factum apud Antigonum fuisse intellexerimus, necesse est omnia ea iudicia de insignibus statuariis facta per Xenocratem ad Antigonum venerint. Iudicia vero his similia cum etiam in libro XXXV inveniantur atque simillimum quidem id quod de Parrhasio factum est (35, 67), hoc loco ea ponam:

35, 60 de Apollodoro: hic primum species exprimere instituit, primusque gloriam penicillo iure contulit.

35, 64 de Zeuxide: reprehenditur (tamen) ceu grandior in capitibus articulisque. [2])

35, 67 de Parrhasio: primus symmetrian picturae dedit, primus argutias voltus, elegantiam capilli, venustatem oris, (confesssione artificum) in liniis extremis palmam adeptus.

35, 128 de Euphranore: hic primus videtur expressisse dignitates heroum et usurpasse symmetrian, sed fuit in universitate corporum exilior et capitibus articulisque grandior. [3])

35, 98 de Aristide Thebano: is omnium primus animum pinxit et sensus hominis expressit, quae vocant Graeci ethe, item perturbationes, (durior paulo in coloribus).

1) cf. v. Wilamowitz, Hermes XII p. 347 nota.

2) prior eius iudicii pars servata est apud Quinctilianum (XII, 10. 4): „hic luminum umbrarumque invenisse rationem dicitur“, (reprehenditur tamen .. cet).

3) Quae de Euphranore dicuntur eadem fere esse videntur eis quae iam de Zeuxide et Parrhasio dicta erant. At Euphranoris iudicium ei respondere, quod de Pythagora statuario factum est, et verba ipsa: „primus symmetrian usurpavit“ verbis: „πρῶτον δοκοῦντα ῥυθμοῦ καὶ συμμετρίας ἐστοχάσθαι“ apud Diog. Laërt. (VIII, 1. 25) servatis respondere, Robertus demonstravit (l. l. p. 67 sq.).

De Apelle iudicium his simile non invenitur, nisi verba haec (35, 79): „picturae plura solus prope quam ceteri omnes contulit (voluminibus etiam editis quae doctrinam eam continent"). Itaque Apellem, sicut Lysippum, summis laudibus efferri videmus, sed quid contulerit, cum in fontibus certe exponeretur, Plinius silentio praetermisit. Haec quae attuli iudicia, cum tantopere conveniant ad iudicia de statuariis facta, ex eodem fonte originem duxisse apparet. Iam cum in iudicio de Parrhasio facto haec verba inveniantur: „confessione artificum in liniis extremis palmam adeptus", illi artifices autem qui fuerint ex verbis paulo post insequentibus: „hanc ei gloriam concessere Antigonus et Xenocrates" eluceat, ea verba ita intellegenda esse puto, ut Antigonus e Xenocrate illa iudicia hauserit. Itaque cum, quae de pictoribus afferantur iudicia, ex Antigono hausta esse, ipsa Plinii verba edoceant, statuariorum quoque iudicia per Antigonum Plinio innotuisse sine ulla dubitatione confirmari potest. Sequuntur in libro XXXIV iudicia de Lysippi discipulis facta (34, 66—67). Atque Euthycrates quidem, quamquam ceteros gloria superavit, tamen quodammodo vituperatur, quod „constantiam potius imitatus patris quam elegantiam austero maluerit genere quam iucundo placere". Itaque Brunnius recte fortasse coniecit, eum in symmetria quoque severiorem fuisse, et antiquorum potius artificum staturas imitatum esse (Hist. art. I p. 409). Tisicrates vero, Euthycratis ipse discipulus, „sed Lysippi sectae propior" summam laudem gloriamque ea re assecutus esse videtur, quod Lysippi artem ita imitatus est, „ut vix discernantur complura signa". Itaque cum in his quoque iudiciis Lysippi ars summa laude digna existimetur et ad imitandum proponatur, cum ad eam posteriorum artificum opera exigantur, eodem ex fonte, quo iudicia de clarissimis artificibus facta, haec quoque iudicia hausta esse mihi persuasum est. Xenocrati autem, quamquam is aut Euthycratis aut Tisicratis fuerit discipulus, haec iudicia attribuenda non esse Furtwaenglerus (l. l. p. 51) ideo putavit, quod aliam quandam speciem prae se ferrent, cum ad opera magis referrentur. Sed id potius respiciendum esse videtur, quod iudicia a Xenocrate profecta summos artifices quamquam diversis scholis ortos complectuntur, hic vero primis quoque proximi respiciuntur, atque qui eiusdem fuerint scholae discipuli his iudiciis comprehenduntur. Itaque eiusmodi iudicia nondum apud Xenocratem fuisse conicere

licet, sed ad Antigonum potius esse referenda. Eodem fonte originem duxisse videntur iudicia de Euphranoris schola facta:

35, 130 de Antidoto (Euphranoris discipulo): diligentior quam numerosior et in coloribus severus.

ibid. de Nicia Atheniensi (Antidoti discipulo): lumen et umbras custodiit atque ut eminerent e tabulis picturae maxime curavit.

35, 134 Niciae comparatur . . . Athenion Maronites Glaucionis Corinthii discipulus: austerior colore et in austeritate iucundior ut in ipsa pictura eruditio eluceat.

Etiam quae de schola pictorum Sicyonia traduntur Antigoni videntur esse, atque adeo totam hanc in scholas distributionem quae libro XXXV inde a § 75 reperitur ei deberi Robertus censuit (l. l. p. 89). Sed et hic quoque Apellem ceteris artificibus anteponi videmus. Nam cum schola Sicyonia eruditione maxime viguisse videatur, cum in Pamphilo laudetur quod „primus in pictura omnibus literis eruditus" fuerit, praecipue arithmetica et geometria, cum Melanthius dispositione, Asclepiodorus mensuris praestantissimi essent, tamen Apelles, quamquam in his rebus inferior, longe eos superavit venustate, quae ingenii est neque eruditione parari aut diligentia expleri potest. Meminerimus autem etiam in eo quod Antigono tribueramus de Lysippo iudicio (34, 66) elegantiam eius maxime esse laudatam. In iudiciis autem eis componendis Antigonus non solum opera artificum respexit, sed etiam volumina ab ipsis artificibus composita. Nam Apelles, Melanthius, Asclepiodorus, Euphranor[1]) a Plinio in auctoribus libri XXXV relati sunt; Pamphilum quoque de sua arte scripsisse Urlichsius (kunstschriftsteller p. 15) probabiliter coniecit. Nec tamen cum eodem consentire possum verba ea (35, 107) de Asclepiodoro dicta: „quem in symmetria mirabatur Apelles" ex ipso libro Apellis esse, immo vero Plinius ipse repetivit, quod iam 35, 80 de Asclepiodoro praedicaverat. Aliter de iudiciis ab Antigono profectis iudicat Robertus (l. l. p. 28 sq.). Is enim iudicia ea, quae apud Quinctilianum (XII. 10. 3 sq.) de artificibus eis qui in Pergameno canone essent facta invenirentur Antigono attribuit,

1) Euphranorem praecepta symmetriarum tradidisse auctor est Vitruvius praef. VII.

iudicia igitur his similia, quae a Plinio in libro XXXV relata essent, eidem auctori deberi existimat. At in iudiciis illis apud Quinctilianum servatis magna sententiarum commutatione facta Lysippus de summo artis gloriaeque fastigio deiectus est, et Phidias cum Alcamene principem obtinent locum. Itaque iudicia de statuariis facta a Varrone non ex Antigono sed e Xenocrate nullo intercedente sumpta esse Robertus putat, indicemque chronologicum, quo aetates statuariorum computantur, cum eis coniunctum fuisse exponit: eam enim inter utraque similitudinem intercedere, quod Lysippus summus artifex haberetur, quod vetustioris artis vera aliqua species nondum capta esset, Phidias igitur tamquam initia artis repraesentaret. Haec omnia non ad Antigonum, optime vero ad Xenocratem Lysippeae sectae studiosissimum, convenire. Cui viri doctissimi sententiae de Antigono prolatae astipulari cum nequeam, accuratius paulo iudicia illa quae apud Quinctilianum inveniuntur unde originem duxerint, et cui tribui debeantur, exponendum est, nonnullis de Pergameno artificum canone qui dicitur verbis praemissis.

Decem oratorum Atticorum canonem, cum Reifferscheidius originis Pergamenae esse primus coniecisset[1]), Brzoska[2]) exeunte altero a. Chr. natum saeculo inter annos fere 140—100 a rhetore quodam Pergami compositum esse edocuit. Idem duas artificum decades, quae apud Quinctilianum leguntur, ipsas quoque Pergamo originem duxisse existimavit; certe iam ante Pasitelis et Ciceronis aetatem rhetores consuevisse oratores cum statuariis et pictoribus comparare, eorumque opera inter se contendere in epimetro dissertationis (p. 81 sq.) firmis argumentis comprobavit. Quomodo autem in ea re versati sint rhetores optime discimus loco Dionysii Halicarnassensis (de Isocr. 3 p. 522 Reiske) quo Isocratem cum Polyclito et Phidia comparat propter elationem et altitudinem, Lysiam vero cum Calamide et Callimacho tenuitatis et gracilitatis causa. Atque ut hic Lysiam non solum cum Calamide, verum etiam cum Callimacho, qui non est in canone, comparari videmus saepius etiam alios artifices substitui videmus. Apud Quinctilianum antiquiores statuarii nominantur: Callon, Hegesias, Calamis, Myro,

1) Ind. schol. Vratisl. 1881/82 p. 5.
2) De canone decem oratorum atticorum. diss. Vratisl. 1883.

apud Ciceronem loco huic simillimo, cui idem certe fons subest (Brut. 18, 71) Canachus, Calamis, Myro, apud Lucianum denique (rhet. praecept. 9) praeter Hegesiam Critias et Nesiotes vetustam artem repraesentant. Inter pictores clarissimos Cicero eodem Bruti loco refert, Aëtionem, Nicomachum[1]), Timanthem, atque ipse Timanthes apud Quinctilianum alio loco praedicatur (II, 13. 8). Sed quid plura enumerem, iam apparet, cum oratorum certus et definitus numerus canone comprehensus sit,[2]) alios artifices apud alios auctores, quos quisque maxime idoneos esse putaret ad eam quam tractaret rem, cum eis comparari. Itaque cum ne id quidem constare videatur, utrum apud rhetores Pergamenos ipsos semper eidem necne in usum vocati sint, non est cur canonem eorum, sicut apud oratores factum est, conformatum esse concedam, sin autem artificum quoque canonem a Pergamenis constitutum esse certis rationibus demonstretur, cum interea nomina artificum saepe mutata essent, eorundem omnium nomina, qui a Pergamenis delecti erant, a Quinctiliano conservata esse non puto. Iam vero ad ipsa iudicia apud Quinctilianum relata veniamus, atque primum quidem pictores consideremus. Duplicem autem in modum de eis iudicia fieri videmus. Nam de quatuor primis quid ad artem pingendi contulerint, exponitur temporum ordine servato: Polygnotus et Aglaophon „rudia ac velut futurae artis primordia" posuerunt, sequuntur Zeuxis et Parrhasius, quorum prior luminum umbrarumque invenisse rationem, secundus examinavisse subtilius lineas traditur. Et fortasse eis etiam Euphranor adnumerandus est (et ceteris optimis studiis inter praecipuos referendus et pingendi fingendique mirus artifex). In ceteris pictoribus enumerandis neque temporum ordo servatur, neque quid ad artem suam contulerint, exponitur, sed quid cuique proprium esse videatur uno paene verbo indicatur: „Protogenes cura, Pamphilus ac Melanthius ratione, Antiphilus facilitate, Theo Samius concipiendis visionibus, Apelles ingenio et gratia" praestantissimus erat. Neque eae sunt proprietates illae, quae ad pictores tantum valeant, sed quae eodem iure de quavis alia arte aut disciplina dici possint, quae etiam ob eam

1) Aëtion et Nicomachus etiam apud Plinium nominantur (35, 50) inter clarissimos pictores qui „quatuor coloribus immortalia opera fecere".
2) cf. Cic. de oratore III, 25. Brutus 8, 32 sq., quamquam non omnes eis locis laudantur.

ipsam causam delectae esse videntur, quo facilius pictores cum oratoribus contendi possent. Eiusmodi iudicia multa apud Plinium quoque inveniuntur magnamque partem coniuncta cum narratiunculis illis, quas a Peripateticis plerumque inventas esse nemo nescit, vel cum nobilium tabularum descriptionibus. Nonnullos locos exempli gratia afferre satis erit:

35, 73: Nam Timanthi vel plurimum adfuit *ingenii*, eius enim est Iphigenia oratorum laudibus celebrata . . .

35, 64: (Zeuxis) alioqui tantus *diligentia* ut Agragentinis facturus tabulam — inspexerit virgines eorum nudas et quinque elegerit . . .

35, 65: Descendisse hic (Parrhasius) in certamen cum Zeuxide traditur, et . . . detulisse linteum pictum ita *veritate* repraesentata, ut . . .

35, 102 (de Ialyso Protogenis) . . non indicabat se in eo (cane) exprimere spumum anhelantis . . displicebat autem ars ipsa . . .; *anxio animi cruciatu*, cum in pictura verum esse, non verisimile vellet . . .

35, 109 (Nicomachus) nec fuit alius in ea *velocior*. Tradunt namque conduxisse pingendum . . . . Telesti poetae monimentum . . . paucisque diebus absolvisse et *celeritate* et arte mira.

His vero fabellis rhetores saepissime utebantur. Cicero (de inv. II, 1 sq.) Zeuxidis Helenam affert, ut doceat, oratori quoque, quid in quoque auctore optimum esset, eligendum esse; Timanthis Iphigenia, quam oratorum laudibus celebratam esse (cf. Cic. orat 74, Val. Max. III, 11 ext. 6) Plinius ipse addit, a Quinctiliano quid deceat oratorem exponente, exempli causa nominatur; Apellis illud: „uno se praestare, quod manum de tabula sciret tollere", quod Plinius 35, 80 memoriae tradidit additis verbis: „memorabili praecepto nocere saepe nimiam diligentiam", invenitur etiam apud Ciceronem (orat. 73): „Magis offendit nimium quam parum, in quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis." Itaque quae apud Quinctilianum de Protogene, Pamphilo ceteris facta sunt iudicia non ex eodem quo cetera iudicia fonte hausta esse puto, sed apud rhetores usitatissima fuisse, cum eis uterentur ad artifices cum oratoribus comparandis, unde etiam brevis eorum forma declaratur. Aliqua vero eorum pars

certe ex narratiunculis de artificibus inventis orta est. Cetera autem iudicia imprimis quae de Zeuxide et Parrhasio facta sunt Xenocratis et Antigoni esse perspicuum est. Iam vero venimus ad iudicia de decem fictoribus facta, quae arte inter se cohaerent, cum in omnibus idem quaeratur, quoad quisque ad veritatem accesserit. Eorundem iudiciorum pars, cum etiam apud Ciceronem (Brut. 18, 71) inveniatur, eis etiam in disserendo utemur, quae Ciceronis sunt uncis includemus. Atque vetustiorum quidem artificum signa ‚dura sunt et Toscanicis proxima [rigidiora, quam ut imitentur veritatem], ‚minus rigida' Calamidis, ‚molliora adhuc' Myronis [nondum Myronis satis ad veritatem adducta, iam tamen, quae non dubites pulchra dicere], in Polyclito laudatur diligentia et decor: „humanae formae decorem addidit supra verum", sed non explevit deorum auctoritatem; sed quae Polyclito defuerunt Phidiae et Alcameni dantur; in Lysippo et Praxitele veritas, nimia veritas in Demetrio fuit. Itaque cum quatuor veritatis gradus habeamus (qui nondum veritatem assecuti sint, qui supra verum egressi sint, qui veritatem aequaverint, qui nimii in ea fuerint), decem autem artifices laudentur, nonnulli eorum artificum ab ipso Quinctiliano additi esse videntur, ut numerus decem aequaretur. Apud Ciceronem vetustissimus artifex Canachus nominatur, apud Quinctilianum duo artifices in eius locum succedunt Callon et Hegesias, Phidiae Alcamenes et Lysippo Praxiteles apponitur, neque tamen de summis illis artificibus novi quidquam affertur. Antigono vero cur illa iudicia non attribuenda esse censeam, hae causae me impulerunt. Primum enim eorum iudiciorum apud Plinium ne vestigium quidem invenitur. Nam quamquam necesse non est Antigonum in libro XXXIV quoque in usum vocatum esse, propterea quod in indice huius libri laudatur, tamen ipse Robertus compluribus locis eum adhibitum esse iudicavit; nam Calamidem (§ 71), Canachum, (§ 75) Demetrium (§ 76), Callimachum (§ 92) ex eo haustos esse putavit. Neque tamen ullo loco de quoquam eorum eiusmodi fit iudicium.[1]) Quamquam non desunt apud Plinium ei loci quibus Phidias et Polyclitus summis laudibus efferuntur, atque etiam ceteris artificibus ante-

1) Rhetores quomodo illis indiciis usi sint docet Cicero (Brut, 19, 75): „Naevii bellum Punicum quasi Myronis opus delectat", etiam locus e Dionys. Hal. allatus (supra p. 18). Apud Plinium exemplum non invenitur.

ponuntur (qua in re Plinium in laudando profusum esse et diversissima in caelum attollere respiciendum est). Praefat. § 26 Polyclitus et Apelles artificum principes laudantur, eisque „absoluta opera et quae mirando non satiamur" adscribuntur. Phidias artifex numquam satis laudatus appellatur (36, 19), eundem sine dubio „clarissimum esse per omnes gentes quae Iovis Olympii famam intelligant" Plinius affirmat (36, 18), at eius rei argumenta tam mira profert, ut quin ipsius sint dubitari non possit. Non videtur igitur eiusmodi iudicia in fontibus suis repperisse. Quin etiam in ipsis eis libri XXXIV partibus, quibus iudicia de celeberrimis statuariis a Lysippea schola profecta continentur, in operibus describendis Polyclitus et Phidias praestantissimi omnium artificum prae ceteris laudari videntur. Incipit enim sectio 19 libri XXXIV hisce verbis: „Minoribus simulacris signisque innumera prope artificum multitudo nobilitata est, ante omnis tamen Phidias Atheniensis Iove Olympiae facto." Haec ipsa verba, interposito statuariorum indice chronologico, excipiuntur § 54: „Phidias praeter Iovem Olympium, quem nemo aemulatur fecit . . ." Tamen in iudicio huic operum descriptioni subiuncto: Phidias „primus artem torenticen aperuisse" indicatur. In Polycliti operibus describendis canon his verbis celebratur: „fecit et quem canona artifices vocant liniamenta artis ex eo petentes veluti e lege quadam". Quibus verbis cum Polycliti symmetria purissima et imitatione dignissima existimetur, offendunt verba in iudicio posita: „quadrata tamen sunt et paene ad unum exemplum." Hoc ipsum Plinium fugisse non videtur, neque verba ea recipienda esse putavit, nisi auctore addito.

Deinde iudicia de fictoribus in Quinctiliani libro XII relata magis artis existimatoris atque adeo philosophi de arte meditantis quam artificis videntur esse, id quod iam Furtwaenglerus perspexit (l. l. p. 71). Nam in eis de symmetria, de operum argutiis nihil praecipitur et traditur, sed quae ipsius artis cuiuscumque aetatis ratio et voluntas fuerit, exponitur. Accedit, quod eis ipsis temporibus, quibus a nimia Lysippi admiratione discessissent sententiae,[1]) Phidias autem et Polyclitus in summum locum succedere

1) Inter pictores vero Apelles semper eadem gloria floruisse videtur (cf. Cic. orat. 3. de orat. III, 25. Lucian. imag. 7. Plin. praef. 26).

coepissent, controversia quaedam inter artis peritos orta esse videtur, uter eorum maior artifex esset habendus. Haec ipsa Quinctiliani verba docent (l. l.), quibus a plerisque Polyclito palmam tribui concedit, cum opera eius pulcherrima essent, ipse tamen Phidiam et Alcamenem praefert, qui deorum auctoritatem melius explevissent. Eodem modo Phidias et Alcamenes apud Pausaniam (V. 10. 8) summum obtinent locum, apud Galenum vero (de temperam. I, 9) Polycliti symmetrian eiusque canonem insigni laude florere, Robertus demonstravit. Etiam apud Plinium (34, 54 et 55) similiter iudicatur: Phidiae summa altitudo tribuitur, Polyclitus artificibus magis ad imitandum propositus est, qui symmetrian eius quasi legem observant. Itaque Antigonum quoque, si ea iam aetate fuisset, magis ad eorum sententiam acclinaturum fuisse existimo, qui Polyclito palmam tribuerent. Neque omnino commutationem sententiarum tam subito factam existimem, sed paulatim Lysippum Phidiae et Polycliti gloria obscuratum recessisse. Idque initium eius commutationis fuisse puto, ut artifices a praeceptis Lysippi discedere, et antiquiorum quoque artificum symmetriam imitari inciperent, id quod primus fortasse iam Euthycrates, ipsius Lysippi filius conatus esse videtur. Sed ab istis initiis usque ad eam aetatem, qua eam artis rationem, quam nos „eclecticismum" vocamus, maxime florere videmus, via est longa; neque Antigonum ea tempora vidisse existimo. Itaque, ut ad tertiam veniamus causam, iudicia illa ad Antigoni aetatem convenire non videntur. Neque enim tantopere a Xenocratis aetate Antigonus distare videtur. Sed ipsius Xenocratis aetas certe definiri non potest, ambigitur enim, utrum Euthycratis an Tisicratis discipulus fuerit (Plin. 34, 83). Extant porro lapides literarum forma ad nostrum Xenocratem convenientes, Oropi inventi, quibus Xenocrates quidam Ergophili filius (apud Loewyum[1]) 135c) Atheniensis (135a) laudatur. Inter Pergamenas quoque inscriptiones duo sunt lapides, qui inter se coniuncti fuisse videntur, quorum in altero est: „Xenocrates" (Loewy 154k), in altero autem „— naios". Itaque verisimillimum est Pergami quoque Xenocratem quendam Atheniensem opera fecisse. Hos duos artifices unum eundemque fuisse putaverunt Loewyus ipse

1) Loewy: Inschriften griech. bildhauer. Leipzig. 1885.

(l. l. p. 121 sq.) Conzius,[1]) Urlichsius.[2]) Et Urlichsius quidem Lysippum usque ad olymp. 114, Euthycratem usque ad ol. 121, Tisicratem usque ad ol. 130 in vita fuisse coniecit, itaque fieri potuisse, ut Xenocrates olymp. 138 Pergami opera faceret. Quam viri docti argumentationem non satis firmam esse puto, quamquam, si Athenaeo (XI p. 784) fidem habemus, Lysippus etiam ol. 116, 1 in vita fuisse debet. At id mihi constare videtur, Xenocratem nostrum Atheniensem fuisse. De Antigoni autem aetate, quid viri docti statuerint, congessit Loewyus (l. l. sub n°. 154). Quorum sententiae quamquam inter si discrepant, tamen id constare videtur, inscriptiones eas, quae vulgo ad Antigonum referuntur „-γόνου ἔϱγα (Loew. 154 i^2) et „-όνου ἔ[ϱγα]“ (L. 154c) in Attali I tempora cadere, atque priorem quidem ante ol. 140, 3,[3]) alteram olymp. circiter 135 (Wilamowitzius l. l. p. 7). Itaque, si Antigonus etiam sub Eumene II floruit, id quod Plinius tradere videtur (34, 84), certe non multum Attali superstes fuit. Antigonum porro illum, contra quem Polemo scripsit eundem esse atque eum, qui proelia Attali et Eumenis fecit et de arte sua volumina composuit, omnium consensu constare videtur, Antigonus autem biographus num idem sit atque artifex, cum Wilamowitzius libro suo de Antigono Carystio composito demonstrare conatus esset, rectissime in dubium vocavit Dielsius[4]), cui nuperrime assensus est Urlichsius (kunstschriftsteller p. 34). Sed, utut res se habet, Antigonum biographum anno a. Chr. natum 225 senem fuisse, ipse Wilamowitzius narrat, (l. l. p. 130), itaque non multum post ol. 140 in vita fuisse videtur. Quam ob rem cum viderimus Xenocratem et Antigonum utrumque Athenis natum esse, utrumque fortasse inde Pergamum accitum esse, neque multum eos inter se distare aetate, cum alter ol. circiter 124, alter olymp. circiter 140 floruerit, tantam iudicii de arte dissimilitudinem inter eos intercedere, mihi quidem persuadere non potui. Immo sub Attalo II, qui, ut Brzoska (l. l. p. 73) recte animadvertit, maxime intentus erat, ut Corintho praesertim deleta, artis opera quam plurima Pergamum adveheret, vetustiores

1) Die zeit der erbauung des grossen altars zu Pergamon. Berl. Acad. monatsber. 1881 p. 869.
2) Pergamenische inschriften. Würzburg. 1883.
3) cf. SYBEL's histor. zeitschrift XLVII, 1882. p. 13.
4) D. lit. zeitung. 1882. p. 604 sq.

quoque artifices Pergamenis magis innotescere coepisse videntur. Inde eclecticismus ille originem duxisse videtur, ut diversae diversorum artificum vel oratorum virtutes inter se reconciliatae in speciem absoluti et perfecti artificis vel oratoris conformarentur. His quoque temporibus in rhetorum scholis iudicia illa de arte clarissimorum artificum orta sunt, quae nobis passim apud Quinctilianum, partim etiam apud Plinium servata sunt, Plinius autem magnam certe eorum partem Pasiteli debuit (cf. Plin. 35, 73) qui in voluminibus mirabilium operum componendis et in operibus describendis et in artis iudiciis faciendis multa ex illis rhetoribus Pergamenis hausisse mihi quidem videtur.

Vita.

Natus sum HUGO VOIGT die X mensis Septembris anni h. s. LVII Berolini patre CAROLO, matre MARIA e gente SAUPPE, quos superstites esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis domi a patre imbutus, privato Dr. DOEBBELINI ludo, deinde gymnasio Guilelmo patriae urbis traditus sum. Vere anni h. s. LXXIX maturitatis testimonio instructus et Universitati Fridericae Guilelmae Berolinensi adscriptus per octies sex menses scholis interfui virorum illustrissimorum BRESSLAU, DROYSEN, GRIMM, HELLER, KIRCHHOFF, MOMMSEN, NITZSCH, PAULSEN, ROBERT, VAHLEN, WATTENBACH, ZELLER. Archaeologicis imprimis, nec non philologicis et historicis studiis me dedi. ROBERT ut archaeologicis, HELLER et MOMMSEN, ut historicis exercitationibus interessem, benigne concesserunt. Quibus viris omnibus optime de me meritis, imprimis vero ROBERTO, gratias ago quam maximas.